


NUMMUS VOTIVUS

JULII SECUNDI PONTIFICIS:

CUSUS ICTO FOEDERE CAMERACENSIS,
cujus Author ipse fuerat. Anno
Christi 1508.



IULIUS Secundus Pontifex Max. Imperatorem, & Galliarum regem, Venetis parum faventes intelligens, utendum hac occasione: deque utriusq; animo sibi copulando laborandum esse statuit: ut, quod suis opibus minus posset, illorum viribus adjutus, Ariminum, Imolam, Cerviam, Faventiam, nonnullasq; alias civitates à Venetis recuperaret. Accedebat ad veterem illam indignationem, quod cum ipse Vincentium Episcopatum, post defunctum S. Petri Cardinalem nepotem suum, Sixto alteri nepoti dedisset, illi contempto eo, alium ex patriciis suis intruserant. Itaque missus in Gallias Sixtus, multa cum rege agit: quorum partem cum Maximiliano Pontifex ipse per literas communicavit: quos si conjungere posset, Ferdinandum utriq; multa necessitudine illicatum, in eandem sententiam adductum iri, sciebat. Haud magni negotij res fuit, hos Principes ad bellum Venetis inferendum animare, quod suas quisq; causas habere sese putabant, & ad recipienda, quæ singulis crepta possidebant Veneti, omnium conjunctionem peropportuna videbant. Igitur adnitente in primis Pontifice, & Commeantibus internunciis, eò res deducta est: uti Imperatoris nomine Margaretha, jus filia, Belgarum gubernatrix, & Matthæus Langius à Rege Galliarum Cardinalis Rothomagensis, quem sequebatur Jacobus Albionus, Aragonum regis legatus, Cameraci convenirent. Sed, ne vera hujus conventus causa Venetis innotesceret, sparsum in vulgus est, de pace cum Geldro, tractanda ag, cum quo paulo antè dierum quadraginta induciæ intercesserant. Paucis diebus transacta inter illos res, inque certam formulam conceptum fœdus, quam apud Gerardum sæpius hæcenus à nobis citatum videre licet. *Obductum nummus refert tenebris castrum: sed & coruscantem serenâ luce Dianam.* Tenebras Julio multas offuderunt Perusia, Cæsena, Forilivium, Venetorum cum primis indies crescens potentia: novum ei jubar exoritur, pacto cum potentissimis magnatibus fœdere. *Gerard. de Roo. Author.*